

## Traditiones Wizenburgenses (Ed. Glöckner) Nr. 156

Quoniam quidem varia in seculo evenire, prout rerum diversitas postulat, solent, idcirco huic facto scipcionis vigorem adhibere censuimus, quatenus remota rerum ambiguitate certitudo veritatis manifestatur. Igitur ego Adalhelmus domini instigante gratia pro remedium anime me trado aliquantas res proprietatis me ad monasterium cuius vocabulum est Wizenburg quod est constructum in pago Spirinse iuxta fluvium qui vocatur Lutra in honore sanctorum apostolorum Petri et Pauli vel ceterorum sanctorum, ubi presenti tempore Grimoldus abba summusque capellanus dominari videtur. Hoc est, quod trado in pago Alisacinse in villa vel in marca que dicitur Buozolteshusa hobam I, iurnales XXX et prata ad carradas III. Similiter in villa vel in marca qui dicitur Liutolteshusa hobam I, idem iurnales XXX et prata ad carradas III. Similiter in villa Talastat curtile II et ad ipsas iurnales LX et prata ad carradas VI, hoc est in marca Atenheim sive in marca Ringinheim. Et mancipia his nominibus: Uadalbraht, Warbald, Adalung et Irminger, Camarwib, Gebehilt, Berethilt, Brunnihilt. Haec quoque supradicta manu potestativa ad iam dictum monasterium pleniter trado, ea scilicet ratione vel conditione interposita, ut ipsas res quas ego trado, nec non et illas quas in pago supradicto in villa que vocatur Kirihuilari rectores iam dicti monasterii habere videntur, sub usu fructuario habeam, id est cum terris domibus edificiis vineis silvis aquis aquarumque decursibus, cum ecclesia I et omnibus illuc pertinentibus, et mancipiis his nominibus: Albrih cum uxore sua et filiis, Heimbraht cum uxore sua et filiis, Baldini cum uxore sua et filiis, Thiatram cum uxore sua et filiis. Friasini cum uxore sua et filiis, Williman similiter, Winirat similiter, Thanchini, Willihardus. Haec omnia vero, tam illa que ego tradidi quam ea que de rebus vestris superius nominatim scripta sunt, omnes dies vite meae sub usu fructuario sine ullius iudicis interpellatione possideam et annis singulis inde censum ad festivitatem sancti Martini persolvam de argento solidos V. Licenciam vero non habeam ex rebus supradictis aliquid alienare aut vendere, sed potius meliorare atque emendare, sed post meum quoque ab hac luce discessum cum omni integritate ad predictum monasterium reuertentur perpetualiter possidende. Si quis vero fuerit qui contra hanc traditionem a me factam venire conaverit aut eam inrumpere voluerit, agente misso dominico ad partem monasterii auri libras III, argenti pondera V restituat ac confusus recedat, res ubi autem sunt tradite, firme permaneant, stipulatione subnixa. Facta est autem carda haec in villa Kirihwilare, VI kalendas iunii regni Hludowici serenissimi regis in orientali Francia regnante anno XXI, indiccione III. Signum Adalhelmi qui hanc traditionem fieri rogavit. signum Winiha. signum Gerberto. signum Adalharti. † Witrih. † Waltheri †. Biricho. † Berahtfridi †. signum Riholfi. signum Erluni. signum Nordberti. † Lantheri. Heriberti. signum Meginhelmi. † Ello. † Ranuolti. † Adalharti. Muathari. Ego igitur Hildibertus presbiter et monachus scripsi et subscripsi.